



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De illis quo post baptismum capitalem protulerint sententiam. xliiii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

autem qui eum impugnabant volentes eum interficere, similiter poeniteant. Qui nec eum impugnabant, nec vulnerabant, nec consilio, nec auxilio cooperatores fuerunt, sed tantum adfuerunt, extra noxam sint.

De vindicta non prohibenda. Cap. XLIII.

DE vindicta non prohibenda in nouo testaméto, Hieronymus de personis dignis ad vindictam ait: Qui percutit malos in eo quòd mali sunt, & habet causam interfectionis vt percutiat pessimos, minister Dei est. Item, Lex & ministri eius coërceant inimicos & constringant. Apostolus inquit: Regi quasi præcellenti, & ducibus tantquam ab eo misis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. Item Hieronymus: Homicidas & sacrilegos punire, non est effusio sanguinis. Augustinus ait: Quæ ista est vanitas? Vni parcere, & omnes in discrimen adducere? Polluuntur enim omnes vno peccante. Vnde & in lege iubetur: Maleficos non patiaris viuere. Vnde Propheeta: Mortificabant animas quæ non moriuntur. Vnde Gregorius: Non morietem quippe mortificat, qui iustum damnat, & non victurum viuificare nititur, qui reum à supplicio soluere conatur. Helias nanque multos affecit morte, propria manu, nece & igne diuinitus inspirato. In nouo etiam testamento Petrus Ananiam & Saphyram terrificè multauit.

*Ex dictis
Aposto.
Hierony;
Augusti.
Grego.*

De illis qui post baptismum capitalem protulerunt sententiam. Cap. XLIIII.

Questum est etiam super his, qui post baptismum administrauerunt, & aut tormenta sola exercuerunt, aut etiam capitalem protulerunt sententiam. De his nihil legimus à maioribus definitum meminerant enim à Deo potestates has fuisse concessas, & propter vindictam noxiorum gladium fuisse permissum, & Dei ministerium esse datum in huiusmodi vindicem. Quomodo igitur reprehenderent factum, quod ab autore Deo viderent esse concessum? De his ergo ita vt hætenus seruatum est sic habemus, ne aut disciplinam euertere, aut contra auctoritatem domini venire videamur. Iphis autem in ratione reddenda, gesta sua omnia seruabuntur.

*Ex dictis
Innocen-
ty papa,
cap. 23.*